

eadem gratissimo animo debebat, et, cum hoc non fecerit, agnoscere debet peccatum et de eo dolere. Sequitur Minor mere Evangelica. Atqui, tibi, o homo, cui annunciatum est Evangelium, Deus summa obtulit beneficia, Ergo gratissimo animo acceptare debebas, et cum hoc non feceris, peccatum agnoscere debes et dolere. Ita etiam τὸ esse ex Evangelio non opponitur τῷ esse ex Lege, cum potius in casu recto habeamus Legem, quae agnitionem peccatorum efficit atque poenitentiam, in casu autem obliquo Evangelium, uno verbo Leges, quae dirigunt actiones nostras circa Evangelium. Quod supereft controversiae de discrimine poenitentiae terribundae et pudibundae, irregenitorum et regenitorum, facili etiam opera dijudicari potest. Etenim regenti etiam in poenitentia quotidiana agnoscere debent, se vel per peccata infirmitatis reos esse damnationis aeternae, nisi per Christum remitterentur, adeoque *cum timore et tremore suam salutem confidere* Phil. II. 12. id quod in primis ideo necessarium est, *ut qui sibi stare videntur, caveant ne cadant.* I. Cor. X. 12.

### §. XV.

Applicatio in  
praxi.

Ne vero practici usus doctrinae huic deesse videantur, attingemus quosdam in explicatione Paradoxi B. LUTHERI: *Lex et Evangelium sunt distinctissima. et conjunctissima, quovis punto Mathematico conjunctiora*, quod breviter exponit B. D. IOH. HENR. MAIVS in Paradoxis Lutheri Orthodoxis num. XVI. Nonnulli apparentem hanc contradictionem ita solvunt, ut Legem et Evangelium in *Theoria* distinctissima, in *Praxi* autem conjunctissima statuant. Verum accuratissimus DANNHAVERVS in Hodosophia p. 489. optime observavit, *sejunctissima esse non tantum in Theoria, sed etiam*